



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt IV. Congressus inter Catholicos & haereticos habiti iußu Caesaris; &  
Edictum in Conuentus exitu promulgatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

13 Eandem à Cæsare parti Catholicæ communicatam libello scri-  
pto confutarunt Cocleus, Faber, & Eckius: ex quo libello dem-  
ptum est quidquid vel ostentaret contradictionem in Lutherano-  
rum doctrina variis temporibus tradita, ne per eam exprobratio-  
nem ad pertinaciam illos irritaret, vel speciem præferret aculei  
magis quàm probationis, adeoque ad exasperandam potius volun-  
tatem, quàm ad conciliandam mentem valeret. Admonuit Lega-  
tus, ne huiusmodi confutatio scripto, sed solùm voce aduersariis  
exponeretur; aliter præuidebat, noua eos responsa reddituros, abs-  
que vllò contentions exitu, citraque Sedis Apostolicæ dignita-  
tem, dum ex æquo cum suis rebellibus certamen iniret: quin eos-  
dem singulas syllabas cauillaturos, & si quidquam quantulumcum-  
que minùs solidum offendissent, traducturos in ludibrium apud  
vulgus vniuersam Ecclesiæ doctrinam & auctoritatem, perinde ac  
si libellus ille Oecumenici Concilij scita complecteretur. Haud pa-  
rum institerunt hæretici, vt cum ipsi doctrinam suam scripto tradi-  
dissent, scripto pariter responsionem acciperent: id Cæsar constan-  
ter negauit, nisi pollicerentur, se responsionem illam nemini com-  
municaturos, nisi priùs obtentâ ipsius facultate: quæ conditio ab  
iisdem recusata.

C A P V T IV.

*Congressus inter Catholicos & hæreticos habiti iussu Cæsaris  
& Edictum in Conuentus exitu promulgatum.*

1 C Arolus, vbi coram Protestantibus confutatio lecta est, eos  
ad veterem communemque doctrinam amplectendam hor-  
tatus, septemdecim Catholicos, partim Principes, partim  
Oratores delegit, quibuscum agerent. Fredericus Palatinus facun-  
dâ oratione concordiam suaserit. <sup>a</sup> Illi post bidui consultationem se  
quatuor rationibus excusarunt: Prima fuit, <sup>b</sup> Se haud satis auditos  
à Cæsare, prout indictum fuerat cum eò accerferentur: secunda; Si-  
bi non fuisse scripto traditam aduersariorum responsionem: tertia,  
Non posse ab ipsis illam recipi, conscientia reclamante: quarta; Non  
fuisse Concilium coactum; quod Spiræ statutum fuerat.

<sup>a</sup> Eius sum-  
ma est apud  
Sleidanum  
lib. 7. an-  
no 1550.  
<sup>b</sup> Vide Co-  
cleum supra  
citatum.

2 Ad hæc Palatinus communi nomine respondit. Ad primum;  
Fuisse humaniter à Cæsare auditos, & coram se, & per libellum, eos-  
que amplius auditum iri, si quid aliud essent allaturi. Ad secun-  
dum; Permissum à Cæsare, vt non semel ipsis responsa recitaren-  
tur, non tamen vt ex scripto traderentur, satis quippe memoria reti-  
nebat

Part. I.

G g

nebat

1530.

nebat conuitia, quibus eorum concionatores Edictum suum Wormatiensē discerperant, per grauem Cæsaris atque Imperij contumeliam: proinde ea scripto illis tradere noluisse, nisi prius datâ ab ipsis fide, ne ulli absque permisso Cæsaris communicarent. Ad tertium; Vt æqui bonique consulerent quod admonebat, eos videlicet debere potius conscientiarum stimulis agitari, quod Fidem defertissent, in tot Regnis, per tot sæcula, à tot Patribus Conciliisque comprobata, aliamque suscepissent tam inordinatam, tam incompositam, vt eos pauculis annis in sectas innumerabiles discerderit. Ad quartum dixit; Nondum Cæsari per bella licuisse animum ad Concilium adicere; at ex altera parte, Lutherum Wormatiæ Conciliorum auctoritatem palam contempsisse, nec potuisse vnumquam flecti, vt futuro Concilio se permitteret; postea verò plurima conscripisse contra Conciliorum auctoritatem: proinde merito ab ipsis Tribunal illud postulari, quod eorum princeps tamquam auctoritate vacuum repudiabat.

Ad quinque postulata res Protestantium redigebatur. Ea erant: Eucharistiæ perceptio sub vtraque specie: Sacerdotum coniugium: *Canonis* prætermisio in *Missæ* sacrificio, quod illis videbatur in eo Sanctorum non modò cultus, sed inuocatio contineri, ipsis improbata: Bonorum Ecclesiasticorum, quæ iam occupauerant, retentio: & Concilij celebratio, in quo ceteræ controuersiæ expendirentur. His postulatis Campeggio à Cæsare patefactis, & ab illo ad Pontificem perscriptis, atque in Purpuratorum Senatu recitatis, decretum est: Cum ea tam oppositos Religionis articulos susciterent, & qui tam graui forent disciplinæ legibusque Ecclesiæ detrimento, admittenda non esse; grâtes tamen Cæsari agerentur de Religionis studio, quo in reuocandis ad Ecclesiam transfugis laborabat.

\* 6. Julij, in Diario citato Ludouiciorum.

His Româ delatis responsis, quò tamen iniretur concordia, à Cæsare votis omnibus exoptata, cum ad Reipublicæ Christianæ bonum, tum ad Germaniam secum coniungendam aduersus Turcarum conatus, septem denuò vtrimque delecti, qui simul operam studiumque conferrent; & ex quibus bini essent Principes, bini Legisperiti, terni Theologi. Designati sunt pro parte Catholicorum inter Principes Christophorus Episcopus Augustanus, Henricus Dux Brunsvicensis, cui obeunti suffectus Georgius Saxonie Dux; inter Legum Consultos, duo Cancellarij, alter Septemviri Colonienfis, alter Marchionis Badensis; inter Theologos, Ioannes Eckius, Conradus Vimpina, & Ioannes Cocleus: pro Luthera-

rana, ex Principibus Ioannes Fredericus, filius Saxonie Septemuiri, & Georgius Marchio Brandenburgensis, cuius patrum erant Moguntinus & Ioachimus Brandenburgensis Catholici Septemuiri, at ipse hæreticus, & frater Alberti, supremi Magistri Equitum Teutonicorum, qui pariter, ut diximus, à Catholicis descuerat, ex Legisperitis, Gregorius Pontanus, & D. Hellerus; ex Theologis, Philippus Melanchthon, Ioannes Brentius, & Erardus Schnepsius. Cœpit congressus 16. Augusti, & complures dies consumpsit, multa dogmata Catholicis concedente Melanchthone, aduersarum partium principe; qui non prauo, sed deprauato erat ingenio, ac tam pacis cupidus, quam Lutherus certaminis. Nec vero consonat, quod adducit Suauis ad eleuandam partis Catholicæ prærogatiuam, videlicet concordiam in leuibus ac minutis quibusdam constituisse. Fuit enim uerè in potissimis articulis, quibus consensus tunc Lutheranæ pars, aduersus quam prius ipsa docuerat, ac postmodum docuit. Melanchthon ipse producat testis in ipsius epistola ad Legatum scripta, quam Cælestinus hæreticus in historia sua recenset. *Dogma*, inquit, *nullum habemus diuersum à Romana Ecclesia. Multos etiam repressimus, qui perniciose dogmata serere conati sunt; cuius rei extant publica testimonia. Parati sumus obedire Ecclesie Romanae, modo ut illa pro sua clementia, quæ semper erga omnes homines usa est, parua quedam vel dissimulet, vel relaxet, quæ iam, ne quidem si uelimus, mutare queamus. Neque fidem habeat R<sup>ma</sup>. D. T. maleuolis nostris, qui nostrorum scripta scelerate deprauant, & affingunt quidquid uidetur ad inflammandam publica odia quoquo modo facere. Ad hæc Romani Pontificis auctoritatem, & uniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modo non abiiciat nos Romanus Pontifex. Cum autem concordia facile possit constitui, si æquitas uestra paucis in rebus conueniat, & nos bonâ fide obedientiam reddamus; quorsum opus est supplices abiicere? quorsum opus est supplices ferro & igne prosequi? Multis non dubium est, quin R. D. T. nullo modo probatura sit uolentia consilia, si causam nostram, & uoluntates nostras penitus norit. Nullam aliam ob rem plus odij sustinemus in Germania, quam quia Ecclesie Romanae dogmata summâ constantiâ defendimus. Hanc Fidem Christo & Romana Ecclesie ad extremum spiritum, Deo uolente, præstabimus. Leuis quedam dissimilitudo rituum est, quæ uidetur obistere posse concordie. Sed ipsi Canones fatentur, concordiam Ecclesie in huiusmodi rituum dissimilitudine retineri posse. Pro se quisque reputet, num hæc sit oratio Lutherani, parati conuenire cum Ecclesia Romana tantummodo in leuibus ac minutis quibusdam, seruata in tot grauissimis discrepantiâ, in quibus à Catholicis ea secta dissentit. Sed singularim,*

3530.

quænam ea sint, inspectemus. Atque iis omisiss, in quibus tunc etiam idem quod Lutherani, Catholici sentiunt; admiserunt tunc in quarto articulo: Ne amplius diceretur, nos iustos reddi per solam Fidem, quòd hoc effatum in sacris Literis non reperiatur; sed per Fidem, & per Gratiam. In sexto: Necessè esse, vt bona opera, quæ Deus præcipit, efficiamus. In septimo: In hac vita contineri ab Ecclesia non solum electos ad gloriam, sed præcitos æternam puniendos. In decimo octauo: Inesse homini liberum arbitrium, tametsi nequeat absque diuina gratia iustitiam assequi. In vigesimo primo: Cælitè pro nobis Deum deprecari, eorumque memoriam statis piè recoli: quamquam ipsorum inuocationem neque comprobare neque improbare voluerint. Ad summam, ex viginti & vno capitibus ad Fidem pertinentibus, in quindecim plene cum Catholicis consensere; in tribus ex parte; tria reliqua reiecerunt ad illa septem, quæ spectant ad abusus, Romanæ Ecclesiæ ab illis adscriptos.

Ex his autem septem concessere primum; hoc est, Christum integrum secundum Corpus & Sanguinem contineri sub vtralibet specie; nec ab illis damnari eos laicos, qui sub vna solum Eucharistiam sumerent. In quinto conuenere de ieiunio in multis dierum sacrorum peruigiis, ac de multorum Festorum celebritate. In septimo, comprobarunt Episcoporum iurisdictionem, eisque debitam obedientiam à Parochis, à Concionatoribus, à Sacerdotibus in causis Ecclesiasticis; & ne inflata ab iisdem anathemata ex sacrarum Literarum norma impedirentur. Quæ igitur audacia Suis asserit, *fuisse hæc quædam doctrina capita minoris momenti, alij res leues, ad ritus quosdam spectantes?* Aded hæc gratia fuisse, vt Melanchthon in odia vituperationesque suorum delapsus fuerit; præcipue quòd iurisdictionem Episcoporum comprobasset, quæ videbatur fundamentum illius machinæ, quam Lutherus euertere conabatur. At in Vita Melanchthonis comperio, id ab eo non fuisse peractum inconsulto magistro. Sed fortasse per huiusmodi potestatis declarationem, erat animus aucupandæ gratiæ tot insignium potentiumque capitum, quotquot erant in Germania Præfules, eorumque causæ à Vaticana seiungendæ. Vt cumque id euenerit, certum est, dum Melanchthon aquam ad extinguendum incendium propinabat, multò plus sulphuris subdidisse Lutherum ius literis, quæ typis editæ leguntur.

Spes adhuc suberat Cæsari, facilius paucos quam multos in concordiam ituros; ita congressum ad ternos vtrimque coarctant:

hinc

hinc ad Eckium, duosque Legisperitos: hinc ad Melanchthonem, duosque pariter Legisconsultos. Sed nihil amplius confectum, propterea quod, ipso Sleidano teste, Melanchthon vltra progredi vetitus fuit. Atque ita Fidei professionem alterius calculus, non propria conscientia metiebatur. Neque in hoc par erat Lutheranorum Catholicorumque conditio. Illi, vel cum plurima iactura vincebant, modò cuncta non deperderent: hi cuncta prorsus deperdebant, vno solum deperdito; quemadmodum deperditur tota ciuitas, tametsi reliqua moenia defendantur, modò muri pars decem-pedalis perfringatur ab hostibus. Nostra Fides vnico articulo indiuiduo vniuersa innititur, qui est auctoritas Ecclesiæ falli nescia: quapropter statim ac quamcumque partem desereremus, vniuersa corrueret; cum in comperto sit, indiuiduum vel integrum perstare, vel integrum deficere. Atque hinc ortum duxit recepta S. Thomæ doctrina, non posse vni articulo Fidem abrogari, quin in reliquis omnibus concidat Fides: quippe quod tunc fortasse reliquis credi posset ex peculiaribus humanisque argumentis, non ex obiecta Dei loquentis auctoritate, omnibus articulis communi, quæ Fidei actum constituit.

7 Denique desperatâ concordia, Cæsar ex sententia plurimorum Principum atque Imperij Ordinum, quæ in recessu statuta erant promulgauit. Ibi commemoratâ Cæsaris curâ ac diligentia in Comitibus adhibitâ pro Religionis concordia, eorumque successu, tempus indulgebatur Principibus, Ciuitatibusque Protestantibus vsque ad 15. Aprilis, quo palam faterentur, an vellent vsque ad futurum Concilium cum Sede Apostolica, ac reliqua Imperij parte, de Fidei summa conuenire. Interim verò ipsis præscribi, ne finerent suis in conditionibus quidquam typis excudi, vendi, seu innouari in rebus Religionis, neque ipsorum subditos in ea exercenda perturbarent; nec aliorum subditos ad suam Religionem pertrahendos curarent. Vnâ omnes conspirarent aduersum Anabaptistas, & negantes Diuinam Eucharistiam; repudiatâ hoc pacto Confessione quatuor Ciuitatum, quæ Zuinglio adhæserant. Et quoniam, subdebatur, iam dudum Generale Concilium haud fuisset celebratum, fierique poterat, vt variæ corruptelæ pullulassent in Ordine tam laico quam Ecclesiastico; idcirco Cæsarem cum Sede Apostolica, ac dein cum Imperij Ordinibus decreuisse, vt intra sex menses Concilium Christianum liberum Generale in aliquo opportuno loco indiceretur, daturumque operam, vt reliqui Principes Christiani consentirent: Concilium verò ad summum post annum ex quo indictum fuerit,

G g 3                      congre-

1530. congregaretur. Sed cum diuino humanoque iure interdictum sit, ne suum ulli auferatur, iuebantur interea erepta Ecclesiasticis bona restitui.

Verum his conditionibus reiectis à Protestantium primoribus aliud Edictum edidit, cui reliqua Principum Ordinumque Imperij pars subscripsit: vbi cum ea omnia quæ in priori continebantur, eiusque insuper repulsam commemorasset; recensitos errores, quibus Anabaptistæ, Zuingliani, Lutherani que quæ in doctrinis, quæ in ritibus insistebant, singulatim prohibuit; Ecclesiastica bona reddi iussit; in suam Imperijque Fidem recepit hæreticorum subditos, dummodò in Catholica Religione fideliter persisterent; cunctisque iniunxit, vt ad Concilium adeundum essent parati, quod à Pontifice se impetraturum intra prædictum temporis spatium pollicebatur.

## C A P V T V.

*Agitur Concilij celebratio.*

**V**bi Cæsar ad Comitata peruenit, animaduertat communis Germanorum vota ad Concilij celebrationem propendere. Illud hæretici efflagitabant; leuiore quidem egentioresque, melioris fortunæ spe ex ea publici corporis commotione: sagaciores verò potentioresque, cunctationis studio, protrahendæque minus impudenter contumaciæ; ceterum sperantes, vel se minime impetraturos, vel certè impetraturos eâ formâ, vt possent aliquid postea prætere ad Concilium recusandum. Alioquin hi Concilium non solum non cupiebant, sed formidabant; certi professionis, & veriti Tribunal tantæ auctoritatis ac roboris. Imò cum esset Concilium ex Ecclesiasticis conflandum, pertimescebant latere, ne ab illo adigerentur ad reddenda Ecclesiæ sublata bona; adeo vt Aleander, in Wormatiensi Conuentu Nuntius Pontificius, hæreticis perpetuò Concilium conclamantibus, simulauerit semel, per tabellarium, qui Româ alia de causâ aduenerat, fuisse ad se delatum Decretum de Concilio conuocando, confestim verò cunctis mœsto silentio conticuerint.

Catholici pariter postulabant; aliqui ob detectam aduersariorum artem; aliqui, propterea quòd admotis iam frustra lethalibus Germaniæ morbo aliis medicaminibus, anceps potius quam nihil malebant; quidam denique, vt omni excusatione refractarios exartarent, omni que fide apud communem omnium opinionem

In Scriptura  
ab Aleandro  
missa ad  
Campeg-  
gium, cum  
Legatus ad-  
sit Norim-  
bergensem  
Conuentum.